



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Leænæ Exequiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

JUPITER ET APIS.

Apis obtulisse Jovi favum mellis dicitur. Quis offerentis fuerit animus, non satis liquet. At rarò magnis Regibus munus obtigit ex-
pers sperati scœnoris. Admovit orì dulce munus Jupiter; & laudatâ volucris solertiâ; age, inquit, quid vis ut ego rependam tibi? Hic Apis diffimulans, quos tacita meditatur, dolos; non me, inquit, hominum ac Divûm pater, avara sollicitat fames, aut non contenta sorte, quam tu dedisti, majus optârim bonum. Sed gens mortalium avida, per summum nefas, nostras in dapes involat, & quas paramus mensis atque aris Deûm, furatur ac perdit opes. Ergo si labores nostros bonus respicis, si nostra magno munera non sordent Jovi, da vindicare posse prædones malos, & hosti, quisquis ille sit, lethalibus inferre jaculis plagam insanabilem. Votum improbavit Jupiter & injustas preces. Quin & malignum volucris ingenium increpans: Tibi certa mors est, inquit, si quem læseris, & vulnere in ipso protinus pones animam.

EPIMYTHION.

Virus malignum sæpè sub donis latet.

LEÆNÆ EXEQUIÆ.

Concesserat è vivis metuendi totâ in viciniâ Leonis conjux. Protinus planctu lugubri nemus latè consonat, & omnes veniunt

Q4

luctûs

luctus in partem feræ. Mox & solennis dicitur
 exequiis dies; & missi quocumque Feciales ju-
 bent adesse pompæ funebri sylvarum incolas.
 Nemo non adfuit, aut per Legatos non excusa-
 vit absentiam. Quos ut frequentes vidit ire in
 lachrymas Leo, & longum ejulans testari do-
 lorem suum; ploranti regi adgemere vicissim
 Aulici, & fletu pari prosequi fletum Principis.
 Unus, tot inter lachrymas, abstinuit flere, imò
 & risisse Cervus dicitur. Misero ignoscendum
 id quidem, si scirent Magni ignoscere; qui spon-
 sam suam teneramque sobolem meminerat avi-
 dis Leænæ immolatam dentibus. Hic excede-
 scens Rex ferus & bilem in Cervum evomens;
 sic ergo nostros asperas luctus, ait? & in dolore
 publico ridere sustines? At non Leonis vindic-
 ce occumbes manu. Lupi, involate protinus
 dirum in caput, & piis Reginae Manibus inferias
 date. Nihil moveri visus ad tristes minas, sit
 placidè causam Cervus oravit suam. Rex magne
 lachrymis hæcenus satis est datum. Recepta
 cælo flere nos ultrà vetat angusta conjux; dum
 terris ereptam queror sponsam immerentem,
 Divumque inclementiam arguo; vidi superbo
 curru Leenam rapi, intèrque collocari cælestes
 feras. Placatur Leo credulus, absolvit reum
 nec Cervi pia fraus præmio caruit suo.

EPIMYTHION.

*Magnum est adulari nosse Principibus vi-
 ris.*

CER.